

t. dummodo postea ille, qui nominatus est, rem seu mercem re ipsa taxet. « Si autem ille vel noluerit, vel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto, » expressis verbis statuitur cit. § 1. *Prope finem*. Instit. h. t. Plura de pretio infra § 3.

15. *Non requirit certam verborum formam, nec scripturam.* — Resp. I. Ad substantiam emptionis, venditionis non requiritur certa forma extrinseca; sed fieri potest in scriptis, vel sine scriptis, sicut et quavis verborum forma consensus interni sufficienter expressiva. Ita communis, arg. *In princip.* Instit. h. t. *Juncta*, l. fin. c. eod. l. XVII. c. *de Fide instrum.* et l. IV. ff. *de Pignor.* ibi: « Nec ad rem pertinet, quibus fiat verbis, et c. in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur: ideo et sine scriptura et c. res obligata erit. »

16. *Nisi desuper expresse conveniant contrahentes.* — Limitatur tamen conclusio in casu, quo contrahentes expresse conveniunt, se non nisi in scriptis contrahere velle, ita, ut donec scriptura, seu instrumentum scriptum super contractu sit erectum, omnibusque numeris absolutum, contractus non valeat. Hæc limitatio expresse posita habetur in princip. Instit. h. t. ubi etiam additur, licitum esse cuivis contrahentium se poenitere seu recedere, usque dum instrumentum perfecte sit absolutum. Concordat, et rem magis declarat l. *Contractus*, 17. c. *de Fide instrument.* et ibi doctores communiter.

17. *Secus est, quando expressa conventio adest, vel de eo dubitatur. Scriptum, seu instrumentum scriptum quare adhibeatur.* — Quod si vero contrahentes de scriptura necessario adhibenda expresse non conveniant, sed duntaxat dicant, se vel facere, et cras v. g. vel proximo tempore super contractu celebrato scriptum exigatur instrumentum, vel scriptura; vel ipso facto absque verborum ambage in scripturam contractum redigant, præsumitur, id solummodo majoris probationis, et securitatis gratia factum esse, ut proin ante scripturam perfecte completam et absolutam, se poenitere, vel a contractu recedere eis non liceat. Quod idem dicendum, quotiescunque consideratis considerandis manet dubium, an contrahentes scripturam tanquam necessariam conditionem sine qua non, an vero solius majoris probationis ac securitatis gratia adhiberi voluerint; uti cum communi aliorum contra To-

losanum syntag., lib. XXV. cap. XVII. Paulum Castrensem, et nonnullos alios docet Tuschus, §. *Contractus*, concl. 99. Haunoldus, tract. X. cap. 1. contr. 4. n. 15. Ratio est, quia merito præsumitur, quemvis contrahere velle juxta naturam contractus, si aliud expresse non declarat: ergo, cum natura emptionis ac venditionis sit, quod etiam sine scriptura subsistat, l. IV. ff. *de Pignor.* procul dubio sine scriptura quoque contractus emptionis valebit, ubi de alia intentione contrahentium expresse non constiterit. Præsertim, quod scripta instrumenta de contractibus solo consensu initis, secundum Jura non nisi pro faciliiori probatione fiant, cit. l. IV. ff. *de Pignor.* « Fiunt enim (sunt verba legis) de his scripturæ, ut, quod actum est, per eas facilius probari poterit et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem. » Concordat, l. *Cum res*, 12. c. *de Probat.*

18. *Quando in contractu partim pecunia, partim alia res datur, aut promittitur, attendendum est ad intentionem contrahentium, et juxta illam contractus judicandus erit; quando nec res, nec pecunia prævalet.* — Quæritur III. An etiam emptionis et venditionis, vel potius alius sit contractus si emptor partim pecuniam, partim aliam certam rem loco integri pretii pro merce paciscitur? Ratio dubitandi sumitur ex supra cit. § 2. Instit. h. t. vi cujus pretium « in numerata pecunia consistere debet. » Nec inutiliter, aut de solo nomine proponitur hæc quæstio; cum alios effectus pariat emptio venditio; alios permutatio, vel contractus innominatus do, ut des. uti partim ex dictis, partim ex dicendis patet, et patebit. Resp. I. Si in hujusmodi contractu ex parte alterutrius, pecuniæ nempe, vel rei, quæ loco integri pretii pro alia re datur, non est notabilis excessus, attendenda est ad mentem et intentionem contrahentium, adeo, ut pro tali sit habendus contractus, qualem ipsi celebrare intenderunt. Præsumitur autem talis fuisse eorum intentio, qualem verbis exprimunt, ita ut, si in contrahendo utantur vocabulo emptionis venditionis censeantur intendisse, eundem contractum inire: si vero adhibeant vocabulum permutationis, eandem intendisse præsumantur. Ita Bartolus, in l. XXXIV. ff. h. t. quem sequitur Haunoldus, tract. X. cap. 1. contr. 3. n. 9; Konig, h. t. n. 12, et teste Molina, disp. 336. n. 6. communis aliorum, arg. l. VI. § 1. ff. *de Action. empt.* Ratio est,

§ II. QUINAM EMERE ET VENDERE POSSUNT, ET QUASNAM RES.

quia ubi jura specialiter non obstant, contractus ex conventionione ac intentione contrahentium legem accipiunt l. I. ff. *Depositum*, et reg. 85. *de Reg. jur.* in 6. Intentio autem agentium ex verbis desumitur: « cum nemo existimandus sit dixisse, quod in mente non agitaverit, » l. VII. § 2. ff. *de Supell. leg.* Dicitur notanter, « Si ex parte alterutrius, pecuniæ nempe, vel rei, quæ loco integri pretii pro alia datur, non est notabilis excessus. » Nam.

19. *Si alterutrum, res nempe vel pecunia in contractu data vel promissa prævalet, judicandus erit contractus juxta excessum.* Resp. II. Si ex parte alterutrius notabilis apparet excessus, ita ut multum prævaleat pecunia, erit emptio venditio; si autem in valore notabiliter excedat res illa, quæ una cum pecunia pro alia re datur, erit permutatio; etiamsi contrahentes alium contractum celebrare intendant, eumque verbis exprimant, nominando priorem contractum, ubi pecunia prævalet, contractum permutationis; posteriore e contra, ubi valor rei excedit emptionem. Sic v. g. si quis paciscitur dare alteri pro agro domum constantem mille florenis, et insuper viginti florenis, erit permutatio; etsi paciscentes contractum emptionis venditionis intendant et exprimant: e contra si quis paciscitur pro agro dare nongentos florenos, ac insuper equum constantem quinquaginta florenis, erit emptio venditio; licet contrahentes permutationem intendant et nominent. Molina, loc. cit.; Abbas, in c. *Constitutus*, n. 22. *de Religiosis domibus*. Bartolus, Gomez, Covarruvias, et alii, Ratio est: quia, quando unum notabiliter excedit, censeatur magis esse principale, ad quod semper trahitur minus principale, et accessorium, juxta reg. 42. jur. in 6.

20. *Etiam si aliud intendant, et exprimant contrahentes.* — Nec refert, quod contrahentes alium contractum intendant, et exprimant: quia, si aliquando, ex subjecta materia contractus constat, amplius attendi non debet nomen a contrahentibus eidem impositum, cum privata dispositio non possit generalem constitutionem immutare. c. *Requisiti*, 45. *de Testament.* Petrus Anchar., in c. *Canonum statuta, de Constitut.* n. 36; Abbas, Molina, et alii. Alias enim etiam emptio venditio foret, si quis bovem pro equo, et decem crucigeris pacisceretur; imo si absque ulla pecunia interveniente bovem pro solo equo daret, dummodo diceret: Vendo tibi

bovem pro equo, et decem crucigeris, aut præcise bovem pro equo; quod absurdum esse, nemo inficias ibit.

21. *Quando nec res, nec pecunia prævalet, nec de intentione contrahentium constat, qualis tunc sit contractus, multum discrepant doctores.* — Tandem qualis contractus, si non adsit ex parte alterutrius, notabilis excessus, nec constat de contrahentium intentione, plurimum variant doctores. Aliqui enim cum Bartol., in l. I, c. *de Rerum permutat.* volunt denominationem faciendam esse a digniori, adeoque censendam permutationem, quæ dignior, quia antiquior l. I. ff. *de Estim. act.* Alii e contra cum Baldo contendunt fore emptionem venditionem, utpote contractum frequentiore, arg. l. 34. ff. *de R. I.* Nonnulli cum Molina, loc. cit. n. 8. Alciato, et Covar. docent esse mixtum contractum seu duplicem, videlicet partim Emptionem, partim permutationem.

§ II.

DE HIS, QUI EMERE ET VENDERE: ITEM DE REBUS, QUÆ EMI, VENDIQUE POSSUNT, AUT DEBENT.

22. *Emere et vendere potest, quicumque lege non prohibetur. Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur.* — Quæritur I. Quinam emere, et vendere possint, vel non possint? Resp. I. Quis valide ac licite emere, vendere potest; nisi a jure specialiter prohibeatur. Est communis et certa. Ratio est, quia in materia communiter non prohibita, qualis est contractus emptionis venditionis, utpote jure gentium, ob necessitates vitæ et commercii humani introductus, l. I. *de Contrah. Empt.* procedit vulgatum illud ex can. *Jam nunc*, 8. can. 28. q. 1. et c. 1. *de Procurat.* in 6. desumptum axioma Glossæ, in c. *Inter corporalia*, vers. « Non invenitur, *de Translat. Episc.* Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. » Prout magis diximus supra lib. I, tit. *de Rescriptis*, n. 33. et 34.

23. *Clerici emendo et vendendo lucri causa negociari nequeunt.* — Resp. II. Plures jure prohibentur emere et vendere. Patet inductione. Sic enim primo clerici prohibentur emendo et vendendo negociari, lucri gratia, can. *Clerici*, 1. can. *canonum*, 3. can. *Quicumque*, 9. caus. 14. q. et 4. et quidem sub poena excommunicationis, c. *Secundum*, 6.

Ne Clerici vel Monachi. Suspensionis item, ac depositionis, can. *Si quis.* 4. can. 14. q. 4. can. 2. dist. 88. quas pœnas amota appellatione innovavit concil. Trid. Sess. 22. de *Reform.* cap. 1. Dicitur notanter «lucri gratia:» quia ob suam et suorum necessitatem, tam emere, quam vendere æque ac alii possunt.

24. *Administratores rerum alienarum non possunt emere res, quas administrant.* — Secundo administratores rerum alienarum, de jure nec per se, nec per alium emere possunt res illas, quas administrant; nisi id eis specialiter concedatur, textu expresso, *Non licet.* 46. ff. de *Contrah. empt.* ubi etiam pœna solutionis in quadruplum contra transgressores hujus legis statuitur.

25. *Nec tutores vel curatores res pupili vel minoris.* — Tertio prohibentur tutores emere bona pupillorum, quæ administrant, l. XXXIV. §. fin. de *Contrah. empt.* nisi id palam, bonaque fide faciant, atque contutoribus, si qui sunt, vel propinquis, aut judice consciis, et auctoritatem accommodantibus, l. *Pupillus.* 5. §. 2. et seqq. ff. de *Auctorit. tutorum.* Eadem juris prohibitio extenditur etiam ad «curatores, procuratores, et qui aliena negotia gerunt,» cit. l. XXXIV. §. fin. Imo «si filius tutoris, vel quæ alia persona juri ejus subjecta emerit, idem erit, atque si ipse emisset,» sunt verba l. *Pupillus.* 5. §. fin. ff. de *Auctorit. tutor.*

26. *Nisi forsam administratione careant.* — Ratio hujus prohibitionis est, ne scilicet hujusmodi administratores, curatores, et tutores, prætextu emptionis, occasionem capiant fraudulenter decipiendi illos, quorum bona administrant. Quæ ratio, quia in tutoribus, quibus administratio honorum pupilli commissa non est, cessat; cum occasione similiter decipiendi careant, cessat etiam circa illos emendi prohibitio, l. *Tutores.* 6. ff. de *Auctorit. tutor.*, ibi: «Tutores, quibus administratio decreta non esset, tanquam extraneos, recto a pupillo emere placet.»

27. *Emere non possunt qui carent usu rationis. Pupilli quoque, et minores emere et vendere prohibentur.* — Quarto denique a contractu emptionis venditionis arcentur, qui vel a natura, vel a jure universaliter prohibiti sunt pacisci. Quales sunt infantes, amentes, furiosi, quos omnes, utpote rationis usu carentes, natura ipsa ab omni contractu excludit. Item papilli, minores, et prodigi, quibus a lege, certo modo interdictum est

pacisci; prout amplius diximus supra lib. I. tit. de *Pactis.* § 2. per totum, ubi videndum.

28. *Gubernatores, rectores, ac præfecti locorum, necnon et mobiles, ac illustres olim, ibi, ubi debebant, emere non poterant, bene tamen hodie.* — Resp. III. Quamvis olim provinciarum et locorum gubernatores, rectores, præfecti, vicedomini, etc. nullas emere poterint res immobiles, præterquam prædia, quæ aliquando erant paterna, l. LXII. § 3. de *Offic. Proconsul.* Ac insuper Illustres, naturalibusque nobiliores ab omni mercatura arcerentur l. III. c. de *Commerc. et Mercat.* l. VI. c. de *Dignit.* cum concordantiis: ne videlicet horum potentia et auctoritate plebei et inferiores terrefacti, coacte potius, quam libere contractus ineant, non sine magno reipublicæ detrimento; nihilominus, hodie omnes isti non minus, ac alii emere vendereque possunt, eo quod consuetudine contraria præfatae leges sint abrogatæ, uti communiter advertunt doctores et docet praxis ubique vigens.

29. *Regula est: Ordinarie nemo cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam.* — Quæritur II. An aliquando emere vel vendere quis etiam debeat, et ad id invitatus cogi possit? Resp. I. Regula universalis est: Ordinarie loquendo, nemo invitatus cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam. Ita communis, textu claro l. *Invitum.* 11. c. de *Contrah. empt.* ibi: «Invitum comparare, vel distrahere, postulantis desiderium, justam causam non continet.» Ubi Summarium breviter sic habet: «Contractus non redduntur in invitum.» Concordat, l. *Nec emere.* 16. c. de *Jure deliberand.* Ratio est, «quia suus quibus rei moderator, atque arbiter existit, l. *In remandata.* 21. c. *Mandati;*» sique pro libitu suo de ea disponere potest.

30. *Fallit regula ista in nonnullis casibus.* — Resp. II. Fallit nihilominus præfata regula in nonnullis casibus, in quibus aliquis etiam invitatus a magistratu, aut alio superiore legitimo cogi potest ad rem propriam justo pretio vendendam. Glossa, un. in cit. l. *Invitum.* plures tales casus enumerans. Quod idem faciunt Jason, in l. *Nec emere.* n. 3. et 4. c. de *Jure deliberandi;* Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* c. xiv, n. 4. 3 et 7; Molina, disp. 34; Castro Palao, de *Justit. commutat.*, Disp. 5, punct. 19; Layman, lib. III. tract. IV, c. xvii, § 5, n. 34, et alii communiter. Probatum inductione.

31. *Et quidem primo tempore necessitatis communis, ubi subditi cogi possunt ad vendendas res quibus non indigent.* — Sic imprimis ob communem necessitatem, v. g. tempore famis, inopiæ frumenti, aliorumve victualium, et rerum ad quotidianum usum necessariorum, subditi quicumque a domino territoriali, vel ejus officialibus cogi possunt ad res similes vendendas; sicut et emptores prohiberi, ne plus, quam sibi suisque necessarium est eo emant, Abbas, in c. i. h. t. n. 6; Layman, loc. cit.; Menochius, consil. 237. et communis aliorum, textu claro l. *Civitatum.* 2. c. *Ut nemini liceat:* ubi tamen etiam proinde statuitur, «ut nullus cogatur vendere omne id, quod sui usus gratia comparavit, sed superflua tantum: quandoquidem satis impium est, suis quemque defraudari, eaque in alios transferri.» Concordat, l. XIV et XVIII. c. de *Operibus publicis.*

32. *Clerici quoque, saltem a judice ecclesiastico.* — Cæterum extenditur juris dispositio etiam ad clericos, ita ut hi quoque in casu communis necessitatis ad vendendas res suas cogi valeant, non quidem a judice laico, utpote nullam jurisdictionem, aut potestatem in clericos habente, sed a proprio suo ecclesiastico. Jacobus Pignatelli, tom. I, consultat. 476, ubi adducit declarationem cardinalium in una Brundusina, 7. aprilis 1644; Laymando, loc. cit. et alii, arg. c. *Non minus.* 4. de *Immunit.* Ratio autem est: tum quia in necessitate omnia debent esse communia, can. *Sicut.* 8, dist. 47; Glossa, in can. *Discipulos.* 26. de *Consecrat.* dist. 5; tum quia jure divino et naturali quivis etiam clericus fame laboranti succurrere tenetur: can. *Pasce.* 21, disp. 86, ibi: «Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poterat; si non pavisti, occidisti.»

33. *Indigenis præ alienigenis est subveniendum; pauperes indigenæ præ aliis sunt juvandi.* — Porro tempore necessitatis communis possunt habentes superflua etiam cogi, ut solis civibus et indigenis, vel iisdem prius quam exteris frumentum aut alia necessaria vendant, casu quo, utriusque vendenda non sufficiant, Layman, loc. cit.: Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* c. xv, n. 7. rem peregrie et ad longum deducens. Ratio est, quia cæteris paribus major semper ratio est habenda pro patria, patriæque incolis et civibus quam exteris: monente sancto Paulo ad *Galat.*, vi, 40, *Dum tempus habemus, ope-*

remur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei. Concordat canon 5. concil. Turonens. sub Pelagio I. ubi Spiritu sancto dictante præcipitur, «ut unaquæque civitas pauperes et egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicini presbyteri, quam cives omnes suum pauperem pascant: quo fiet, ut ipsis pauperes per civitates alienas non fatigentur.»

34. *Secundo ob bonum publicum, aut favorem religionis cogi possunt subditi ad vendendam rem suam. Ubi si est necessaria pro via publica v. g. vel schola publica, vel palatio principis erigendis.* — Secundo cogi quis potest ad vendendam rem suam, quando id exigit bonum publicum, aut favor religionis, v. g. si alicujus privata domus, ager, fundus, etc. pro sternenda via publica necessarius est, potest dominus illius, ut eum justo taxato pretio vendat. Covarruvias, loc. cit., n. 7. Layman, Molina, disp. 341, n. 2, et communis aliorum, l. *Si locus.* 14. ff. *Quemad. serv. amitt.* § «Cum via publica, vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare debet.» Idem ob eandem boni publici rationem, Molina, loc. cit. et Lago post Lopez et Gomez extendunt ad casum, quo fundus domusque aliena necessaria est pro erigendis aut ampliandis scholis publicis, palatio principis, vel aliis similibus, bono publico necessariis, vel admodum utilibus ædificiis de novo construendis aut ampliandis. Addit Layman, loc. cit. fabrum orrarium vicinum scholis publicis, ex eadem ratione, favore nempe boni publici cogi posse, ut vel domum vendat, vel e vicina migret, si labore suo professoribus molestam aut impedimentum creet.

35. *Vel pro erigendo, aut ampliando monasterio.* — Tertio etiam ob favorem religionis cogi quis potest ad vendendum agrum, domum, fundum, etc. si pro erigendo, vel ampliando monasterio, ecclesia, hospitali, aut alio simili pii instituti ædificio necesse est. Rursus communis, signanter Covarruvias, loc. cit.; Castro Palao, de *Justit. commutat.*, Disp. 5, punct. 19, n. 4, arg. l. *Si quis sepulcrum.* 12. ff. de *Religiosis, et sumptibus funerum.* Ratio est; quia, quod pro religione facit, etiam pro bono et jure publico facit, arg. l. 1. ff. de *Justit. et jur.*

36. *Imo etsi absolute necessaria non sit, sed tamen valde utilis, et accommodata.* — Porro quamvis controversia inter doctores non careat, an cogi quis etiam possit ad vender-

dum agrum, fundum, domum, etc. quæ quidem non absolute necessaria, bene vero admodum utilis, et proficua foret pro bono publico, aut religionis favore. Nihilominus communis affirmative respondet, teste Covarruvia, loc. cit. ad finem, ubi communi opinioni et ipse adhærens ait, æquissime quidem facturum judicem, qui in simili casu receptissimæ doctorum sententiæ se accomodans, privatam cogit ad vendendum agrum, domum, etc. quando exinde nullum aut sane modicum venditori accrescit detrimentum: ubi vero detrimentum notabile venditori ex hujusmodi venditione inferetur, potestatem cogendi inferioribus iudicibus non competere, sed negotium per supremum principem decidi debere arbitratur: quæ doctrina et æquitati, et juri videtur consona, arg. l. *Si quando* 9, c. *de Operibus publicis*.

37. *Dominus servum nimis dure tractans, cogi potest, ut eum vendat. Idem est de dominis jurisdictionalibus nimis severe tractantibus subditos. Abuti nemo potest re sua.* — Quarto dominus nimis severe ac inhumane tractans servum suum cogi potest eum vendere: § 2. Instit. « de His, qui sunt sui, vel alieni juris. » Ratio ibidem redditur: « Expedi enim reipublicæ, ne sua re male quis utatur. » Idem est ob paritatem rationis, si ad illicita servum traheret, Castro Palao, post Covarruviam, Molinam, et Layman, locis citatis. Ob eandem juris rationem ulterius inferunt doctores citati cum Gail., lib. I. observ. 13, n. 5, et observ. 17, per totum; Mynsing., cent. 5, observ. 8. Dominos jurisdictionales quoque, qui supra modum in subditos sæviunt, vel insolitas operas et angarias ab eis extorquent, cogi posse, ut jurisdictionem suam alteri saltem ad sui vitam vendant.

38. *Alii casus reperiuntur apud Jasonem.* — Præter enumeratos, sunt adhuc alii, minus tamen frequentes casus, in quibus ad vendendam rem suam cogi quis potest, quos videre licet apud Jason., in cit. l. *Nec emere. de Jure deliberand.*

39. *Ad emendum, quibus in casibus quis cogi possit.* — Resp. III. Pariter dantur casus, in quibus ad emendum quoque quis cogi potest, quoties nempe id exigit commune reipublicæ bonum, cui prospicere omni meliori ac possibili modo, uti magistratus tenetur, ita haud dubie potest cogendo etiam privatos ad emendum, Abbas, in c. i. h. t. n. 6; Layman, et Castro Palao, locis citatis. Probat

et exemplificatur inductione. Sic namque 1. ad evitandam communem inopiam, cives cogi possunt ad coemendum frumentum et alia vitæ necessaria; 2. idem fieri potest, dum timetur obsidio loci; 3. juste coguntur subditi ad emenda instrumenta, sicut et alias res, sine quibus officio, obedientiæ, vel obligationi incumbenti satisfacere nequeunt, doctores citati cum communi aliorum.

40. *Nisi specialiter prohibeatur, quævis res humano commercio subjecta emi vendique potest.* — Quæritur III. Quænam res emi vendique possint? Resp. I. Regula universalis est: Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere vel prosequi potest, venditio recte fit. Quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis (vel jus divinum, civile, canonicum, aut statutum locale, ut cum aliis bene addit Azorius, n. 2. lib. VII. c. v. § *Res præterea*) commercio exuerunt, earum nulla venditio est. Ita expressus textus l. *Si in emptione* 34. § 1. ff. *de Contrah. empt.* Concordant dicta superius lib. I. tit. XXXV, *De Pactis*. § 2. per totum. Ex hac regula

41. *Etiam futura, seu quæ sperantur.* — Infertur primo, emi, vendique posse res non tantum existentes, sed et futuras, quæ adhuc existunt in naturali causa, vel alias sperantur: cujusmodi sunt « fructus, et partus futuri: » item « jactus aleæ, captus piscium, » etc. textu claro l. *Nec emptio* 8, in princ. ff. *de Contrah. empt.* Ubi tamen notabile ponitur discrimen inter res, quas futuras ex causa et ordine naturali exspectamus; et inter res, quas per accidens et fortunam potius, quam naturæ cursum speramus.

42. *Exceptio rei, quæ speratur ex causa naturali est conditionata, videlicet, si nascatur.* — Res siquidem prioris generis, v. g. fructus agri, partus animalium, etc. censentur emi sub tacita conditione, « si nascantur: » qua conditione non adimpleta, invalida erit emptio, et restituendum erit pretium emptori. Imo si venditor fuit in causa, ne fructus empti nascerentur; tenebitur etiam ad interesse, cit. l. *Nec emptio*; Molina, disp. 340, numer. 14; Haunold., tract. X, c. xiv, contr. 14, § 1.

43. *Emptio vero rei, per fortunam, et per accidens exspectatæ, absoluta est.* — Res vero secundi generis, jactus aleæ v. g. aut captus piscium censentur absolute, et sine ulla conditione emi, ita ut pretium remaneat venditori, etsi parum, vel nihil capiatur, cit. l. *Nec emptio*. ubi ratio redditur, « quia spei

emptio est. » Sicut e contra res capta emptoris erit, etsi duplo excedat pretium l. *Si jactum* 12. ff. *de Action. empt.* Nisi forsitan contrahentes ipsi emptionem aliter modificent, dicendo v. g. Dabo pro quavis libra piscium, quos cavies decem crucigeros: tunc enim haud dubie conditionata censebitur emptio; videlicet, si pisces capiantur. Sicut e contra contractus absolutus foret, si quis prioris generis res emens diceret: Dabo tibi pro fructu, aut partu, qui speratur, hanc summam pecuniæ, sive aliquid, sive nihil nascatur.

44. *Emi vendique possunt tam mobilia, quam immobilia.* — Infertur secundo, emi ac vendi posse res, sive mobiles sint, sive immobiles, sive corporales, sive incorporales uti sunt nomina, jura et actiones, debita, hæreditates, etc. Ratio est: quia omnes et singulas « has res quis habere, vel possidere, vel prosequi potest; » id quod de jure requiritur, et regulariter sufficit ad hoc, ut res aliqua recte vendi, emique valeat. Verum quia in uno alteroque ex præfatis specialis reperitur difficultas, singulatim de iis agatur § sequenti. Interea

45. *Vendi prohibetur homo liber, nisi major 25. annis consentiat.* — Resp. II. Res, quæ vendi emique nequeunt, potissimum sunt sequentes. Primo: homo liber, l. *Si in emptione* 34. ff. *de Contra empt.* ibi: « Hominem liberum scientes emere non possumus; nisi major viginti quinque annis ad pretium participandum sese venundari patiatur, » § 4. Instit. *de Jure person.*

46. *Filius amen pater, victus causa, vendere potest.* — Specialiter etiam in jure l. II. c. *de Patribus, qui filios distraxerunt*, conceditur Patri, « quod propter nimiam paupertatem, egestatemque, victus causa, filium, filiamve vendere possit; » quod ipsum etiam de jure naturali licitum videtur, prout bene advertunt Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* c. xiv. n. 4; Tiraquell., lib. I. *de Retract.* § 26. num. 17. eo quod proles post Deum maxime obligatæ existant patri, indeque naturæ omnino conveniens reputatur, ut proles ad conservandam vitam patris, libertate privari se sinat. Plura de hoc videantur apud cit. doctores et Azorium, part. III. lib. VIII. c. vi. per totum.

47. *Res spiritualis emi vendique nequit.* — Secundo emi et vendi nequeunt res mere spirituales, aut spiritualibus annexæ: talium enim venditio foret simoniaca: per textus

can. ult. et penult. can. 1. q. 3. Idem est de rebus sacris, seu sacratis qua talibus. Concordat jus civile, l. *Sed Celsus* 6. l. *Hanc legem* 22. l. *Littora* 51. A. *de Contrah. empt.* juncta l. *Sancimus* 17. c. *de Sacrosanctis Ecclesiis*. Verum de his ex professo tit. *de Simonia*.

48. *Veneri mali, non item boni venditio prohibetur.* — Tertio fieri non potest emptio venditio veneri mali, id est talis, « quod nullo modo adjectione alterius materiæ, usui nobis esse potest. » l. *Quod sæpe* 35. § 2. ff. *de Contrah. empt.* « De veneri vero, quæ mixta aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidoti, et alia quædam salubria medicamenta conficiantur, aliud dici potest; » pergit in contextu citata l. *Quod sæpe*.

49. *Item res litigiosa. Litigiosa res, quæ?* — Quarto emi et vendi non possunt res litigiosæ. Patet ex toto tit. *de Rebus litigios.* item l. *Lite pendente* 2. l. *Quicumque* 3. et l. *Censemus* 4. c. *de Litigiosis*. Dicitur autem « litigiosa res, de cujus dominio causa movetur inter possessorem et petitem, judiciaria actione, vel precibus principi oblatis, et judici insinuatis, et per eum futuro reo cognitio, Authen. *Litigiosa*. c. eod. Atque amplius declaratum est supra lib. II. tit. XVI. *Ut lite pendente*, etc. § 2. per totum.

50. *Et res universitatis.* — Quinto vendi prohibentur res universitatis, id est, jure universitatis, et non jure singulorum possessæ. l. *Pacta* 72. § 1. ff. *de Contrah. empt.*

51. *Turcis, et Saracenis vendi non possunt arma, annona, etc.* — Sexto vendi non potest Turcis, Saracenis et gentibus Barbaris, hostibus nostris annona, nec aliquod quodcumque tandem genus armorum, l. *Nemo* 2. c. *Quæ res exportari*. SS. *Canones*. cap. vi. xl. et xvii. *de Judæis*, etiam excommunicant illos, qui merces, vel arma Turcis transmittunt: de quo plura suo loco.

§ III.

DE QUIBUS VENDITIONIBUS IN SPECIE: OFFICIORUM VIDELICET, NOMINUM, AC HEREDITATIS.

52. *De jure naturali non est prohibitum officia publica vendere.* — Quæritur I. An, et quomodo vendi emique possint officia publica? v. g. præfecti, cancellarii, vicedomini, consilarii, judicis, scribæ, tabellionis, etc. Resp. I. Spectando jus naturale non est præ-